

SALMONII MACRINI IVLIODVNENSIS EPITHALAMIORVM LIBER

AD HONORATVM SABAVDIANVM, VILLARIORVM REGVLVM.

E_1 v.1 Dum carmen tibi nuptiale, proles
 2 o Regum inclyta Caesarumque sanguis,
 3 Honorate, dico levesque nugas
 4 volvi abs te nimis impudenter insto,
 5 frontem exporrige comis ad jocosas
 6 festi delicias Thalassionis.
 7 Scriptorem argue nec procacitatis,
 8 si quid legeris hic ineptiarum.
 9 Nam legem tulit hanc Catullus olim,
 10 princeps hendecasyllabon Catullus,
 11 ut castus foret integerque vates,
 12 vatis carmina non item, lepore
 13 quae tum praecipue suo placerent
 14 si essent mollicula et parum severa.
 15 Nos legem sequimur Catullianam
 16 Fescenninaque ludimus, Camenae
 17 praefati veniam licentiori.

AD P. FLAMINIVM BORSALVM.

E_2 v.1 Quid me querelis tristibus enecas
 2 augesque curam sollicito mihi,
 3 quod te salutare ac Penates
 4 ad patrios nequeam reverti ?
 5 Marcere luxu semper in aulico
 6 non, non voluntas est mea, Flamini,
 7 plurisque libertas agellis
 8 exiguis mihi feriato
 9 quam sceptrum regum, quam diademata
 10 distincta gemmis splendidioribus,
 11 regina quales in superbis

12 articulis Berenice habebat.
 13 Vitalis haud est vita sine artibus
 14 claris sororumque Aonidum choro ;
 15 atqui huc anhelantem molestis
 16 compedibus tenet Aula vinctum,
 17 nec grata pellax otia persequi
 18 hortis latentem me sinit aviis,
 19 qua fonte delabens recentes
 20 unda fugax trepidet per herbas.
 21 Illic quiescens gramine roscido
 22 vernantum amoenum murmur ad alitum,
 23 te voce, te blandis, Geloni,
 24 concinerem fidibus beatus.
 25 Recto nec arbos stipite surgeret
 26 agris in illis, nomina rustica
 27 quae falce concisis scienter
 28 corticibus tua non haberet.
 29 Nunc fata pugnant duraque servitus,
 30 et colligatum nodo adamantino
 31 irretit, aerumnisque pressum
 32 saeva mei vetat esse juris.

AD GELONIDEM.

E_3 v.1 Ad te postquam animum adpuli, Geloni,
 2 ut fausta mihi jungerere taeda
 3 indivulsa comes torique consors,
 4 elegique tuum lubens amorem
 5 in quo pascerer acquiesceremque,
 6 nae tantum in teneris meis medullis
 7 accendit puer ille saevus ignem
 8 cui plena ex humero pharetra pendet,
 9 armata est face dextera impotenti,
 10 ut si valdius obstinatiusque
 11 optem ardescere, teque amare porro,
 12 voto me misere improbo fatigem,
 13 nec possim tamen adsequi quod optem.

AD BRISSAM, NYMPHAM FONTIS IVLIODVNENSIVM.

E_4 v.1 Brissa, quae custos trepide fluentum
 2 fontium, regnas per aprica prata,
 3 et foves rivi gelidi virentes
 4 potibus herbas,
 5 valle cui late dominantis opaca
 6 aesculi parent salicesque glaucae et
 7 quae via fessis patet hospitali
 8 populus umbra,
 9 huc dies Cancro referente siccos
 10 aurea accedet quoties Gelonis,
 11 ne sinum claudas, tua neu lavanti
 12 gaudia celes.
 13 Marginem propter modo ne procaces
 14 Panes insultent Satyrique nudaе,

15 neve subrepat latitans propinquo
 16 Faunus ab antro.
 17 At domum talis redeat Gelonis
 18 a tuis, Nymphē mihi culta, lymphis
 19 qualis a Boebeide vel Libyssa
 20 Pallas ab unda.
 21 Caespitē exstructam viridi quotannis
 22 haedus intinget tibi caesus aram,
 23 nec merum deerit, neque textae odoro
 24 flore coronae.

AD GELONIDEM.

E_5 v.1 Si formosior esset inter omnes
 2 dives Gallia quas habet puellas,
 3 si te mundior elegantiorque,
 4 ignosci mihi jure posset illam
 5 sectanti vehementiusque amanti,
 6 vel te posthabita. Sed ipsa cum sis
 7 formosissima et elegantiarum
 8 refertissima praeque munda cunctis,
 9 dives Gallia quas habet puellas,
 10 ignosci mihi non deceret, ullam
 11 si, te posthabita, Geloni, amarem.

AD BRISSAM NYMPHAM.

E_6 v.1 Expultrix gravium sollicitudinum
 2 te nunc, Brissa, canam, nulla celebrior
 3 ut sit lymp̄ha sacris rupibus Aonum,
 4 aut Idae Phrygiae jugis.
 5 Nam seu post rapidum dulce meridiem
 6 herbis membra super sternere, eburnea
 7 ludentem cithara, seu vacuum juvet
 8 matutina magis quies,
 9 ad fontis tremuli murmur amabile,
 10 securo innumeris picta coloribus
 11 prata haud defuerint, nec patulae novis
 12 passim frondibus arbores.
 13 Caesum hic ales Ithym Daulias integrat
 14 nigris ilicibus flebiliter gemens,
 15 et turtur viduus voce tibi nemus
 16 vicinum querula replet.
 17 Spissis aura comis sibila perstrepat,
 18 somnosque exiguo murmure pellicit ;
 19 custodes ovium rustica dulcibus
 20 dicunt carmina fistulis.
 21 Hic me sub platani tegmine caelibis
 22 captantem tenuis frigora ventuli
 23 afflat dulcisoni pectinis arbiter
 24 toto numine Cynthius.
 25 Non ut Maeoniis cantibus audeam
 26 Titanas memorare atque acies deum,
 27 ut Phlegraea cohors montibus arduos

28 montes imposuit minax.
 29 Invictis neque uti viribus Hercules
 30 Antaeum Libyco pulvere straverit,
 31 aureumque abstulerit victor Amazoni
 32 in certamine balteum.
 33 Heroa haec referat Flaminius tuba
 34 cum matura virum tempora fecerint,
 35 mira Flaminius nobilis indole
 36 et centum puer artium.
 37 Me dulcem satis est posse Gelonidem
 38 imbelli cithara tradere posteris,
 39 inter Pictonicas et veterum Andium
 40 forma praecipuam nurus.
 41 Nec te, Brissa, meis non fidibus canam
 42 puro jugis aquae gurgite fertilem,
 43 altricem salicum valle recondita
 44 pratorumque virentium.
 45 Sic glaucam tremula semper arundine
 46 incingere comam, perspicuas neque
 47 sus obturbet aquas, pratave proterat
 48 lascivo pede bucula.
 49 Huc potum quoties, huc quoties, dea,
 50 dormitum veniam fessus ab oppido
 51 quod Caesar statuit Julius, haud tuas
 52 vati delicias neges.

AD SODALES.

E_7 v.1 Hactenus stulta levitate rerum
 2 perditum aetatis satis otiique,
 3 vela nunc vertenda aliudque nobis
 4 aequor arandum,
 5 horrido ne si violentus auster
 6 flamine insurgat, scopulos carinam
 7 pellat in caecos rapiatque vasto
 8 turbine nautam.
 9 Tutius notos tenuisse curvi
 10 litoris tractus breviumque aquarum
 11 alta quam Nerei penetrasse passis
 12 caerula velis.
 13 Quippe si tristes alicunde venti
 14 ingruant casusque rati minentur
 15 asperos, portus propior vadisque
 16 mitior unda est.
 17 Optimi longum socii valete,
 18 Montavi, Chorro, Theocrene, Langi,
 19 quique thesauros utriusque calles,
 20 Lazare, linguae,
 21 tuque, doctorum pater, atque princeps
 22 Lascari augustis atavis superbe,
 23 luctuosorum Danaum levandis
 24 nate ruinis.
 25 Este sed dulcis memores amici,
 26 patriis quamvis latiturus agris
 27 regias Franci profugus relinquat

28 Principis aedes.
 29 Nuntium mensis procerum remitto
 30 sponte inardescens studiis sororum
 31 quae tenent Pindi juga limpidosque
 32 Phocidis amnes.
 33 Sat diu insana ambitione raptus,
 34 aedibus magnis opulenter egi,
 35 sunt mihi posthac alia legendae
 36 arbore glandes,
 37 hic ubi inflexae juga laeta vites
 38 palmitum densis foliis inumbrant,
 39 saltus aestiva tegetes opacat
 40 fronde propinquas.
 41 Vallis umbrosae medio patescunt
 42 prata nativo satiata rivo
 43 saxa labentis per adesa rauco
 44 murmure fontis.
 45 Ipse securus popularis aurae
 46 avia degam nemorum sub umbra ;
 47 grata sub nigra fuerit canenti
 48 sessio quercu.
 49 Panes adstabunt Satyrique circum,
 50 et leves Fauni et faciles Napaeae,
 51 ac mihi texent varias odoro
 52 flore corollas.
 53 Sessitans molli in gremio Gelonis
 54 basia impresso dabit ore vati,
 55 et suo aspectu mihi fax amicos
 56 exciet ignes.
 57 Illius lima melius politum
 58 carmen exhibit, criticos nec ungues
 59 nec graves tali metuam probatus
 60 iudice ronchos.
 61 Sic Phaon nondum fugitivus olim
 62 in sinu Sapphus tepido canebat
 63 alitem pinnis puerum et Diones
 64 regna decorae.

AD P.FLAMINIUM BORSALVUM.

E_8 v.1 Non nescis avibus bonis
 2 (ni vano augurio fata fefellerint
 3 uxoris cupidum novae)
 4 me duxisse tuam, Petre, sororculam.
 5 Cui textu Phrygiae nurus,
 6 cui Memphis tenui stamine cesserit,
 7 filis multicoloribus
 8 seu mortalem opus est pingere, seu deum,
 9 seu fontis tremulas aquas
 10 umbrosisque sitas vallibus ilices,
 11 herbarumque comantium
 12 distincta omnigenis arva viroribus.
 13 Ut mores animi aureos
 14 et formae sileam munera candidae,
 15 certans Palladi qua Venus

16 ornavit teneris parvulam ab unguibus.
 17 Sed tum praecipue mihi
 18 cum cesto juvenem junxit amabili,
 19 in vatis thalamos agens
 20 demisso placidam lumine virginem,
 21 ramis caesariem novis
 22 cum velatus Hymen excuteret manu
 23 collucentem agili facem,
 24 festum Juno torum pronuba sterneret,
 25 zonam mundaque castitas
 26 nuptae virgineam solveret anxiae et
 27 horrenti misere nimis
 28 ignota aligeri tela Cupidinis.
 29 Cessas laetitiam tamen
 30 voce et mellifluis promere cantibus.
 31 Haec te Battiadae modis
 32 juvisset mage seu dulcis Anacreon,
 33 Dircaei aut lyra Pindari,
 34 ante omnes alios dicere oportuit,
 35 ne tantum diuturnitas
 36 laetis ex animis invida gaudium
 37 deleret senii situ,
 38 aurasque in tenues Aeolii Noti
 39 secum flamine turbido
 40 diversi raperent, quae memori magis
 41 aevo vivere fas fuat,
 42 doctorumque cani carminibus virum.

AD GELONIDEM.

E_9 v.1 Illa o quando aderit dies, Geloni,
 2 cum dices mihi blandulo susurro
 3 affusa in teneris meis lacertis :
 4 "Te, mi vir, volupe est venire salvum
 5 ut mecum hic placida quiete felix
 6 penses taedia et asperos labores,
 7 quos annis prope quindecim tulisti,
 8 regem huc dum sequeris vagantem et illuc.
 9 Da mi et accipe pressulis vicissim
 10 sexcenta oscula mollicella labris,
 11 haec praeludia sunt prima nobis,
 12 armis proelia justa dum parantur
 13 in campo Paphiae voluptuoso."
 14 His reddes animum, Geloni, verbis,
 15 et me unum e numero beatiorum
 16 abstersa facies acerbitate
 17 quae me sollicitant molestiarum.

AD EANDEM.

E_10 v.1 Nympha, cui vernum modo raptor audax
 2 abstuli florem gremio e calenti,
 3 aureum florem Venerisque dio
 4 nectare tinctum,

5 suavitas cujus quoties aventes
 6 acribus sensus stimulis subintrat,
 7 intremunt artus oculisque furtim
 8 labitur humor ;
 9 sede nec certa mihi mens quiescit,
 10 sed furit caecis agitata flammis,
 11 qualis audito Bromii vocantis
 12 aere Mimallon.
 13 Ecquid ob tantum tibi munus olim
 14 praemii reddam ? Memini, et videre
 15 nunc adhuc casto videor refusa
 16 lumina fletu,
 17 voce cum matrem querula vocares
 18 tristis absentem precibusque multis
 19 posceres ut te sinerem quietos
 20 carpere somnos.
 21 Ipse tam blandis precibus movebar,
 22 et videbaris miseranda, sed me
 23 spiculi saevus rapidoque agebat
 24 igne Cupido.
 25 Imputes illi, mea lux, oportet
 26 si nimis durus fuerim tuosque
 27 spreverim questus, spoliium ut pudoris
 28 dulce referrem.
 29 Nunc io victor dominaeque compos
 30 factus optatae mea vota solvo
 31 gratus et magnae Veneri pio rem
 32 carmine signo.
 33 Nox die quovis melior mihique
 34 candidis Thracum numeranda gemmis,
 35 quae nova felix inopina praebet
 36 gaudia taeda,
 37 jungit et nuptam cupido marito.
 38 Proinde si quicquam mea plectra possunt,
 39 laude mansura celebrabit illam
 40 fama superstes.
 41 Sic ab Oetaeo deus igne fortis
 42 Hercules Heben face nuptiali
 43 accipit grataque obitos labores
 44 conjuge pensat.

AD EANDEM.

E_11 v.1 Conjux, deliciae meae, Geloni,
 2 postquam es, ecquid agis, mihi relictæ ?
 3 An curam assiduo labore fallis,
 4 et nunc vellere pensilive fuso
 5 inter pervigiles sedens ministras
 6 ducis tempora seriora noctis,
 7 nunc telas vario colore pingens
 8 divorum atque hominum exprimis figuras
 9 flava Pallade Lydiaque Arachne
 10 longe doctius elegantiusque ?
 11 An jam dissimilis tui frequentas
 12 inter cursivagas choros puellas

13 secura heu ! Nimium mei, Geloni ?
 14 Ah ! Non sit mihi credidisse tantum
 15 de te, jam satis o probata conjux,
 16 tanto absentia nostra cui dolori est,
 17 jucundum ut tibi sit nihil nec ullam
 18 maerorum accipias levationem,
 19 prae desiderio usque et usque languens,
 20 oestro percita et impotente amoris.
 21 Sic fidam decet integramque nuptam
 22 et cui dicere debeam merenti :
 23 "Conjux, deliciae meae, Geloni."

AD EANDEM.

E_12 v.1 Ecquis nunc prope te me statuat deus
 2 istuc aligeris raptum Aquilonibus ?
 3 Aut talaribus auras
 4 scindentem Arcadiis leves ?
 5 Illi non dubitem, censuum inops licet,
 6 centum lanigeris sacra bidentibus
 7 instaurare quotannis
 8 accepti meriti memor.
 9 Tunc strictum niveis, lux mea, brachiis
 10 Panchaeo casiae rore perungeres,
 11 mulceresque susurro
 12 tincto Cecropiis favis.
 13 Strati ambo tenera molliter in rosa,
 14 insertique simul blanda per oscula,
 15 non assis faceremus
 16 omnes regum opulentias.
 17 At visum superis est aliter, gravi
 18 pressum servitio qui prohibent, fuga
 19 ne dulci, optima conjux,
 20 amplexus repetam tuos.
 21 Tu sancti interea propositi tenax,
 22 exspectas redeam dum celer, et colo
 23 subtilique Minerva
 24 aegri curam animi levas.
 25 Evadne Capaneu sic tua Martiis
 26 te elatum studiis, dum Tyrios prope
 27 muros voce laccessis
 28 ulturum rabida Jovem.
 29 Sic annis Ithacum tot jam abeuntibus
 30 exspectabat adhuc Penelope tamen
 31 fallebatque retexta
 32 tela Dulichios procos.
 33 Nam queis vinxit amor pectora mutuus,
 34 illos non saties, non querimoniae aut
 35 intervalla locorum
 36 excusso dirimant jugo.
 37 Durat casta fides, durat ad ultimos
 38 incorrupta rogos, nigraque trajicit
 39 fati litora, ut uxor
 40 testatur Philaceia.

AD REMIGIVM RVFVM.

E_13 v.1 Dulcis exactae comes o juventae
 2 Remigi, quicum - memini - solebam
 3 ludere et nostros tenui expolire
 4 pumice versus,
 5 cedam ut ingrata fugitivus Aula
 6 jam diu suades, neque quod supersit
 7 temporis (quando hic prope nulla Musis
 8 praemia) perdam,
 9 esse Turonum tibi rara glebae
 10 ubere et largo generosa Baccho,
 11 quae Liger flavis, rapidis Vienna
 12 adluat undis.
 13 Regiis istic opulenta donis
 14 templa Divorum celebrique cultu,
 15 incoli totam bene copiosis
 16 civibus urbem.
 17 En tuis utor monitis libenter,
 18 Principisque Aula procul, ad quietae
 19 transferor vitae genus atque amantes
 20 otia Musas.
 21 Sed voces quamvis alio, ad parentum
 22 praedia et notos redeo Penates,
 23 quos rosae exornare puer recenti
 24 flore solebam.
 25 Mite ibi caelum tepidaeque brumae,
 26 et solum felix et aquae salubres,
 27 divite et fructus varios ministrans
 28 copia cornu.
 29 Proin loci captus genio situque
 30 Caesar, Anchisae Venerisque sanguis,
 31 moenia acclivi tumulo et superbas
 32 condidit arces.
 33 Oppidum dextra sola plana cingunt.
 34 Matri Eleusinae Bromioque grata,
 35 vallis at leva jacet irresectis
 36 fertilis herbis.
 37 Frondei parvo nemoris recessu
 38 tinniunt rauco volucres canore,
 39 Albias vallem mediam nemusque
 40 lymphae pererrat.
 41 Albias regina loci ac creatrix
 42 prata labentis per amoena rivi,
 43 quam colunt Nymphae riguaque mutant
 44 saepe Aganippe.
 45 Herbido gaudens ibi solus antro,
 46 laureaue ornatus Apollinari,
 47 caelitum palmas meritosque dicam
 48 carmine honores.
 49 Sorte contentum modica fideles
 50 deditique iisdem studiis amici
 51 me frequentabunt pariterque mensa
 52 paupere vivent.
 53 Frigidae sensim creperum senectae

54 tempus irrepet properante fato et
 55 deflui albescent spoliata circum
 56 tempora cani.
 57 Tum sua ostendat mihi Franca pubes
 58 scripta certatim neque me magistro
 59 menda et, exstantes nimium, negarit
 60 tollere naevos.
 61 Post ubi humanae data pensa vitae
 62 ruperit duris metuenda Clotho
 63 legibus fessique aderit supremus
 64 terminus aevi,
 65 debitis illic lacrimis madentes
 66 compriment nobis oculos amici
 67 morte collapsos modicoque condent
 68 ossa sepulchro.
 69 Sed nigrae spissis foliis inumbrent
 70 aesculi bustum viridesque lauri,
 71 et rosae circum redolento et albo
 72 lilia flore.

AD SE IPSVM.

E_14 v.1 Quid te discrucias, Macrine, tantum ?
 2 Quid noctes miser ejulas diesque,
 3 nec ponis gravibus modum querelis ?
 4 Sic densa nemorum sub ales umbra
 5 Itym Daulias ingemit peremptum,
 6 questusque assidue integrans eosdem
 7 replet luctisono canore silvas.
 8 Quid te mane novum rubensque vesper
 9 juges in lacrimas videt fluentem,
 10 et maerore animum gravantem acerbo
 11 frustra ? Non ideo levantur aegri
 12 cordis taedia pallidaeque curae.
 13 Quin fidos magis advocas amicos,
 14 Tusanum ut puta, Florimontiumque,
 15 Ruffum, Lascarin atque Deloinum,
 16 compluresque alios venustiores ?
 17 In quorum grege, primulis jam ab annis,
 18 longe principem habet locum Brialdus,
 19 vir lectissimus integerrimusque.
 20 Hi te omnes ope juverint parata et
 21 nullum defugient boni laborem
 22 ut curas tibi sublevent edaces,
 23 maesti ac nubila pectoris serenent
 24 suasu, consilio, allocutione.
 25 Ille praecipue tuus Brialdus,
 26 tibi prae reliquis probatus olim,
 27 sedulo lapidem movebit omnem,
 28 ac nil non faciet, Macrine, tantos
 29 ut tandem minuat tibi labores,
 30 optatamque diu offerat quietem.
 31 Illo hercle auspice dura cuncta vinces
 32 et tandem ad patrios Lares redibis.

ALAE, AD IMITATIONEM THEOCRITI, AD GELONIDE.

E_15 v.1 Ante oculos, uxor, tua cum versatur imago,
 2 erranti patria tam procul urbe viro
 3 consuetis recalet pectus amoribus,
 4 ignis et furtim furit in medullis,
 5 qualis Sicaniae cavis
 6 rupibus Aetnae.
 7 Rore madebant
 8 largo purpureae genae
 9 cum vale dixti mihi, amata conjux,
 10 tumque innixa toro suppliciter rogas,
 11 sublata properans ut redeam ipse mora,
 12 nec patiar longis miseram intabescere curis.

AD EANDEM.

E_16 v.1 Eheu ! Me miserum, Geloni, qui nunc
 2 in lecto jaceam febriculosus,
 3 lentoque aridus inquiete aestu,
 4 a dulci patria procul domoque,
 5 a te praecipue intimisque amicis,
 6 qui morbum officio suo levarent
 7 et solacia gratiosa ferrent
 8 aegroto medicamque opem roganti.
 9 O maerens quoties, Geloni, dixi :
 10 "Si cum conjuge nunc forem, valerem,
 11 tardas conquererer nec ire noctes.
 12 Pulvinum capiti illa praepararet,
 13 lectum sterneret et levi flabello
 14 nunc artus calidos refrigeraret.
 15 Selectum illa cibum, illa potionem
 16 dilutam tepidae liquore lymphae
 17 nostri perstudiosa temperaret,
 18 aspectuque suo levaret omnes
 19 qui me languidulum premunt dolores.
 20 Quod si basiolis foveret aegrum,
 21 atque arte teneris ligaret ulnis,
 22 non tanti facerem senemve Coum aut
 23 qui caecum Antiochi retexit ignem".
 24 Mecum languidus haec subinde musso
 25 praesentemque meis, Geloni, votis
 26 te posco unicum in unicaque fido,
 27 semotus procul et febriculosus.

AD HONORATVM SABAVDIANVM, VILLARIORVM REGVLVM.

E_17 v.1 Stirpe praeclara puer orte regum,
 2 cui Deus spondet potiora votis
 3 et neunt Parcae niveo beata
 4 stamine saecla,
 5 ne, precor, credas ab honore nomen
 6 inditum frustra tibi, neu venustae

7 regium formae decus aut vigentes
8 viribus artus,
9 esse fortunae nec opina caecae
10 dona, consulto quoniam dederunt
11 nomen ac formam Deus et futuri
12 praescia fata,
13 a tua ut numquam specie recedas,
14 facta nec tentes nisi pulchra pulcher,
15 curaue haerescat tibi consequendi
16 semper honoris.
17 Quod facis certe : nec enim videre est
18 inter aequaeuos alium, labores
19 qui minus duos metuat domique
20 militiaeque.
21 Nunc iuvat fossam superare saltu,
22 aut levi certare agilem palaestra,
23 nunc equum Hispanum rigidis in orbem
24 flectere frenis.
25 Frondea interdum celeres molossos
26 per juga hortaris citus et fugaces
27 capreas linquens minitaris acri
28 cominus apro.
29 Quin ciens pugnam mediis arenis
30 ludicram exerces juvenile corpus
31 fervidus palmae validisque torques
32 viribus hastam.
33 Sic puer quondam Thetidis marinae
34 tela tractabat sene sub magistro et
35 saeva vicinos Lapithas ad arma
36 saepe vocabat.
37 Testis his actae studiis iuventae
38 Pelii notum Pholoesque culmen,
39 quique Sperchius madefecit atros
40 pulvere crines.
41 Candidis nunc o vaga fama pennis
42 inferas Ditis penetres ad umbras,
43 et patri narres elementa amatae
44 grandia prolis.
45 Inter Heroas licet ille magnos
46 nunc agat felix placida quiete,
47 qua pigra Lethes taciturnus amnis
48 labitur unda,
49 quaque diversi violarum odores
50 Elysi umbrosis redolent in hortis,
51 multaue arguta volucrum querela
52 instrepiat arbor :
53 nuntios prona tamen aure laetos
54 ebibet, nec se superis ab auris
55 credet absentem referente nato
56 facta parentis.
57 Ore non tantum similique vultu
58 exprimi a natis aveant parentes,
59 laude sed vitae magis, ac bonorum
60 tramite morum.

AD P. FLAMINIUM BORSALVUM.

E_18 v.1 Jam tritum mihi constat esse moris,
 2 caris plus oculis amate frater,
 3 ut te luce adeam vocemve festa,
 4 ac nobis recites tuas Camenas,
 5 et nostras recitem tibi vicissim.
 6 Lux est haec sacra Virgini parenti ;
 7 proin tu, si sapias, viam vorabis,
 8 bigis candidulis citisque Rhesi
 9 vel perniciosior, alite et caballo
 10 qui fontem pedis ungula recludit.
 11 Nam de dulcicula tua sorore
 12 lecturus tibi sum poema parvum
 13 quo nil cultius est venustiusque,
 14 et quod nunc male sobrio poetae
 15 dictarunt Veneres Cupidinesque,
 16 afflavitque suam licenter auram
 17 cinctus floridulis Hymen corollis.
 18 Dum primo torus incalescit igne
 19 necdum flammeolum reliquit uxor,
 20 hoc scripsi gemino entheatus oestro.
 21 Et quis sic veniam neget furenti ?

AD GLYCEREN.

E_19 v.1 Quid modis quod nunc, mea vita, miris
 2 crebra per somnum simulacra cerno
 3 esse coniectem ? Trepidantque caeco
 4 pectora motu ?
 5 Nocte quod tristi nihil ipsa lux est
 6 gratior ? Sicco quod et ore nobis
 7 sumptae amaescunt epulae ? Et saporem
 8 fercula perdunt ?
 9 Ante quae immites chelys una curas
 10 icta concentu facili levabat
 11 displicet ? Cultum neque dura mulcent
 12 taedia versus ?
 13 Sola (nec fallor) gravium laborum
 14 causa vesano es, Glycere, poetae,
 15 sola tu somnos, epulas, acerba-
 16 -que otia reddis.
 17 Pallor exsanguis maciesque longis
 18 membra deformat tenuata curis,
 19 nec iam homo, functi videor sed esse
 20 corporis umbra.
 21 Quid juvat primis miserum sub annis
 22 hoc caput damnare Jovi profundo ?
 23 Ah ! potes (reddas modo te) priorem
 24 reddere vitam.
 25 Parce spectatum, Glycere, precamur,
 26 parce iam posthac cruciare amantem,
 27 nec tuam obscures misero immerentis
 28 funere famam.
 29 Talium suevit Venus esse tandem

30 justa factorum Nemesisque vindex,
31 quaeque crudelis fuit inde divos
32 sentit iniquos.

AD IAC. TVSANVM.

E_20 v.1 Actaeae pater erudite linguae,
 2 extinctas prope qui reducis artes
 3 in lucem studio piaque cura
 4 juventam tibi creditam docendi,
 5 migrare et veteres jubes Athenas
 6 haec in oppida Celticosque fines,
 7 auctor Cecropidum coloniarum,
 8 quod te Borsalus audiat libenter,
 9 affinis meus uniceque carus
 10 morum dotibus elegantiorum,
 11 laetor mirifice aestimoque magni
 12 doctorem puero obtigisse talem.
 13 Nam si mi ingenium indolesque nota est,
 14 quamcumque accipiet voles figuram,
 15 cera mollior obsequentiorque
 16 quam fingit bonus artifex ad ignem,
 17 sive oratio Tulliana cordi est,
 18 seu Flacci lyra Pindarique plectrum,
 19 heroive juvant Maroniani.
 20 Expectatio summa, Amice, nobis
 21 illum ut perpolias meaque causa
 22 ut tandem facias utraque lingua
 23 imum de numero peritiorum.

AD HELENVM CHAERESTIVM SORORIS FILIVM DE NATALI VIRGINIS.

E_21 v.1 Festa, Chaeresti, haec mihi jure lux est,
 2 qua leves vitae rudis hausit auras
 3 primulum felix et in omne Virgo
 4 nobilis aevum,
 5 Virgo nil priscae rea labis, inter
 6 filias Regum generosa, Christo
 7 una de cunctis maris absque tactu
 8 lecta ferundo.
 9 I, puer, plena Nabathaea acerra
 10 thura verbenasque adole comantes,
 11 lampadum crebris agedum coruscent
 12 ignibus arae.
 13 Hunc piis spectans oculis honorem,
 14 o Dei summa genitrix ab arce
 15 impetres nobis veniam, expetitae et
 16 munera pacis.
 17 Cernis Europae furiis ut acti
 18 Principes caedem meditantur, utque
 19 orbis infestus sibi luctuosis
 20 dissidet armis.
 21 Queis brevi finem nisi Christus affert,
 22 principum exstinguens odia aemulorum,

23 de salutari fluvio piatis
24 gentibus actum est.

AD FRANCISCVM QVIRITIVM IVLIODVNENSEM.

E_22 v.1 Legi versiculos tuos libenter,
2 mi suavissime municeps Quiriti,
3 illos versiculos libenter, inquam,
4 quos misti mihi nuper ipse, legi,
5 ut molles, lepidos venustulosque,
6 spem certam capio quibus futurum
7 ut lucem patriae decusque nostrae
8 his praedulcibus afferas Camenis
9 et sis Pictonicae Catullus urbis,
10 aut si quis tenero est prior Catullo.
11 An dies erit ille laetus umquam,
12 quo lauro caput innuba revincti,
13 grata et molliter otiosi in umbra
14 ad rivos aquulae scaturientis,
15 urbem Caesaris inclytam deasque
16 Leucocrenidas efferamus altum
17 ad caelum hendecasyllabis venustis ?
18 Illam Cynthus aureis quadrigis
19 o lucem afferat ocius precamur,
20 mi suavissime municeps Quiriti.

DE PRIMO GELONIDIS PVERPERIO. AD DIVAM MARGARITEN.

E_23 v.1 Stellatae incola Regiae
2 bacca insigne gerens nomen ab Indica,
3 cui fallax nihil Aethiops
4 nil caeco nocuit trux draco carcere,
5 squammis caeruleis draco
6 vibrantique oculorum horribilis face,
7 quam non dirus Olybrii
8 abduxit furor a justificis Dei
9 summi religionibus,
10 consortem ille tori te cuperet licet,
11 si prisco faceres Jovi
12 phanis tura adolens mascula in impiis.
13 Hoc morti pretium tuae
14 quando persoluit caelicolum Pater,
15 aeternum ut rutilo polo
16 sincerisque choris addita virginum
17 immortalia gaudia
18 vivens ambrosia et nectare gaudeas,
19 extra terrigenum aleam
20 humanis neque jam subdita casibus,
21 ut matres quoties ferent
22 pleno prolem utero, partio et appetet,
23 si te suppliciter vocent
24 adsis et parientum acre malum leves,
25 lenitisque doloribus
26 lucem des teneris visere fetibus

27 ac solis jubar igneum.
 28 Jam junctis novies Cynthia comibus
 29 et vultu enituit novo,
 30 ex quo alvus tumuit tenta Gelonidi
 31 nuptarum placidissimae,
 32 quam caram geminis plus oculis mihi
 33 commendo fidei tuae
 34 ut dulci pavitantem auxilio juves,
 35 instabit simul ac dies
 36 partus solliciti, et seu colis aurea
 37 picti caeli habitacula,
 38 seu templis tibi sollennibus assides,
 39 accensis ubi cereis
 40 et ture ara calet multa friabili,
 41 sis, Lucina, tuum prece
 42 poscenti assidue numen idonea,
 43 tandem ut facta puerpera
 44 grates, Diva, tibi promeritas agat.

AD P. FLAMINIVM BORSALVM.

E_24 v.1 Ecquid sic precibus quotidianis
 2 obtundis caput usque et usque nostram,
 3 jucundissime Flaminille rerum,
 4 ut nexo pede demus et soluto
 5 fetus ingenii recentiores,
 6 affirmans tibi posse nil peraeque
 7 acceptum tribui ? Nec abnegamus
 8 haec dici ex animo fideliterque,
 9 sed quam sit sterilis Camena nobis
 10 scimus, Borsale, jureque extimemus
 11 ne traducat opus suum poetam,
 12 neu nomen minuatur Macrinianum.
 13 Ostendes aliis ut eruditum,
 14 ut non illepidum legique dignum.
 15 Illi protinus : "Hocce, inquit, est
 16 laudaras adeo quod ante nobis ?
 17 Hinc cum munere abi tuo, rogamus,
 18 quo nil crassius invenustius est,
 19 posthac talia nec venena porgas."
 20 Haec merces fuerit meo labori
 21 vel justissima, quippe qui sine ullis
 22 nido gestierim volare plumis,
 23 doctorumque hominum per ora ferri,
 24 perquam credulus obsequique vestris
 25 festinans precibus quotidianis.

AD GELONIDEM.

E_25 v.1 Te mihi dilectam rumor negat ; inteream si
 2 ulla mihi mulier vivat amata magis.
 3 Non satis exposui quae sunt verissima : si sit
 4 te praeter peream femina amata mihi.
 5 Utque mei melius tibi vis notescat amoris,

6 plus ego te quam vox dicere possit amo.
 7 Nam omnes si possint perpendier omnium amores,
 8 vincat eos omnes vel meus unus amor.

DE GELONIDIS DVRTIA QVERITVR.

E_26 v.1 Prae desiderio dulcis turbatus amicae
 2 quam procul absentem rura paterna tenent,
 3 lustra peto ramisque nemus frondentibus atrum,
 4 et quae muscosis fontibus unda fluit.
 5 Illic solus agens ac molli stratus in umbra,
 6 de misera fati condicione queror,
 7 solamenque mali dulci modo carmine capto,
 8 nunc responsuras provoco maestus aves.
 9 Audit silva, meas audit levis aura querelas,
 10 audit floriferis si qua Napaea jugis.
 11 Sed neque contentus volucrum mea taedia mulcet
 12 arboreis nec quae sibilat aura comis,
 13 nec vagus emanans tenui cum murmure rivus
 14 saxa parum notae per salebrosa viae.
 15 Sordet ager, spissumque nemus, tacitique recessus,
 16 solus at in nostro pectore saevit amor.
 17 Unde ego sperabam misero mihi dulce levamen,
 18 anxietas major tristitiesque venit.
 19 O quoties prae me felices sum ratus illos
 20 qui niveos agerent laeta per arva greges !
 21 Illis mitis amor nulla dat mollia cura
 22 gaudia in umbrosis sepositisque locis.
 23 Dumque aries gramen, carpunt virgulta capellae,
 24 admugit tenero bucula torva mari ;
 25 rauca incompositum modulatur fistula carmen,
 26 pastoris tepido dormit amica sinu.
 27 Munera non Coae vestes Sarranaque texta,
 28 nec quae ab Erythraeo litore gemma venit,
 29 sed ficus parvaeque nuces atque aurea mala,
 30 et violae et rubris plena canistra rosis.
 31 Sic Paris Oenonen, pecudes dum pascit, amavit,
 32 straminea pariter delituitque casa.
 33 Felix heu nimium felix, si Pergama numquam
 34 aut Priami nosset ditia regna patris,
 35 si Phrygia numquam Lacedaemona classe petisset,
 36 uxorem raperet ut, Menelae, tuam.
 37 Si labor hic aliquid saltem prodesset amanti,
 38 maerorem praesens respiceresque meum,
 39 vel tua cincta forent triplici praecordia ferro
 40 et gereres duris marmora pectoribus,
 41 vel tete facilem patientia longa moveret,
 42 ac lacrimis questus prosequerere meos,
 43 amplexuque tuo dignum fortasse putares
 44 qui duram usque adeo tam patienter amet.
 45 Olim Milanion magno percussus amore
 46 Iasidos durae, multa dolenda tulit.
 47 Propter eam silvis venando erravit in altis
 48 ut rigidam molli flecteret obsequio.
 49 Propter eam fulvos agitavit saepe leones,

50 cominus hirsutos cuspide fixit apros.
 51 Quin etiam infesta rivalis arundine laesus,
 52 implevit gemitu Maenala summa suo.
 53 Illa viri tandem longos miserata labores,
 54 invisam posuit pectore saevitiam,
 55 spectatumque diu per multa pericula amavit,
 56 servitioque gravi praemia sera dedit.
 57 Milanion cum sim studio tibi, Nympha, placendi,
 58 Nonacris o tandem sis Atalanta mihi,
 59 inque bonam nostras aerumnas accipe partem,
 60 mitior et tantis non inimica malis.
 61 Abjungunt quoniam nos intervalla locorum
 62 nec potes alloquio me relevare tuo,
 63 interea saltem mittatur epistola, ut instar
 64 jucundi aspectus sint tua scripta mihi.

IN OBITVM CARLOTAE VALESIAE FRANCISCI REGIS ET CLAVDIAE REGINAE FILIAE.

E_27 v.1 Ecquae gens adeo est immanis et effera, nostris
 2 quae lacrimis tentet constituuisse modum ?
 3 Quae desideriiis, cum funere nuper acerbo
 4 tam carum abstulerint fata inopina caput ?
 5 Parcarum invidiae poterat satis esse litatum
 6 (damna hominum Parcas si tamen ulla movent)
 7 reginae interitu matris, quam non ita pridem
 8 ah ! Nimium properis flevimus exsequiis.
 9 Jungitur ecce tamen defunctae filia matri
 10 pro dolor ! Et geminum funus hic annus habet.
 11 Vix clausum marmor, vix reddita justa parenti,
 12 liquerat accensam vix sua flamma pyram,
 13 altera cum curanda tibi, Carlota, fuerunt
 14 funera et indignis ossa cremanda rogis.
 15 Quo nunc forma abiit ? Quo grata modestia vultus ?
 16 Aemula quo claris lumina sideribus ?
 17 Aetatemque supra sensus ? Prudentia praecox ?
 18 Regiaque ingenii vis bonitasque tui ?
 19 Omnibus haec tam grata et tam popularia vitae
 20 limine adhuc primo sustulit atra dies,
 21 nec reliquum nobis jam quicquam praeter acerbas
 22 reliquias flammae, quas brevis urna capit.
 23 De te magna tuus fors nunc Caelestibus ipsis
 24 vota facit genitor incolumemque putat,
 25 optatosque sibi sperans, te matre, nepotes,
 26 regem aliquem thalamis destinat ipse tuis.
 27 Longinquis nam bella gerit dum finibus et se
 28 Gallicaque invicta regna tuetur ope,
 29 ac dotem tibi Marte parat, saevissima Clotho
 30 fila scidit vitae non diuturna tuae.
 31 Quippe sub octavi metas tibi ferreus anni
 32 involvit tenebris lumina fessa sopor.
 33 Heu ! Patris irrita spes ! Francorum heu ! Vota petentum
 34 pacem perque tuas foedera firma faces !
 35 Nunc alias, Carlota, faces tibi fata pararunt,
 36 funebrique torus, non genialis erit.
 37 Pro risu lacrimae, pro myrti fronde cupressus,

38 pro Fescenninis naenia maesta jocis.
 39 Quae dictura fuit festivum tibia carmen,
 40 luctificos dicet flebilis illa modos.
 41 Tecum actum tamen hac praeclare forte fatemur
 42 cui domus est caelum, cui cibus ambrosia est
 43 aethereos inter quae nunc laetissima coetus
 44 ludis, inexpletum perfruerisque Deo,
 45 nec matrem natamque locus sejungit, eodem
 46 compositas solio magnus Olympus habet.
 47 Mors tua sed nobis nocuit, sed Gallica vertit
 48 commoda, maeroris materiamque dedit.
 49 Non tibi vivebas : populi fortuna fuisti,
 50 connubioque inerant publica vota tuo.
 51 Christo aliter visum, qui te modo Caelite facta,
 52 spes alias pacis quaerere nos voluit.

LIBRI EPITHALAMIORVM FINIS.

FRANCISCI QVIRITII EPITHALAMIVM IN NVPTIIS SALMONII ET GILLONoes.

v.1 Salmoni modo compos o tenellae
 2 factus Gillonoes, amabo, quicquam est
 3 vobis dignius invicem joculari ?
 4 Fabellas simul et loqui venustas ?
 5 An non et tibi perfricat medullas
 6 intimas lepidus susurrus oris,
 7 molle et basiolum labellulorum ?
 8 Ore quandoquidem rotundo et arto
 9 dulciter frueris, marite felix.
 10 Istud faxit Hymen, decenter ambo
 11 sitis unanimes feratque conjux
 12 laetanti oscula saepius marito,
 13 et collum niveis liget lacertis,
 14 nec ulla hunc dirimat querela amorem.